SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id373526644/1
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG

Hist Tur - 685

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id373526644/3
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id373526644/4
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG

EPISTOLA
CONSOLATORIA,
SCRIPTA
AD CHRISTIANOS FRATRES,
QUI HOC CALAMITOSO TEMPORE
TURCARUM TYRANNIDE AFFLIGUNTUR ET OPPRIMUNTUR.

AUTORE

AMBROSIO MOIBANO,
PRIMO AUG. CONF. APUD VRATISLAVIENSES IN TEMPLO ELISAB.
PASTORE

HOC IMPRIMIS TEMPORE LECTU DIGNISSIMA
&
OB RARITATEM SUAM RECUSA
ê
MUSEO
G. B. SCHARFFII.

LIGNICII,
APUD DAVID SIEGERTUM, 1740.

Theol. Mor. c.
No. 56.
206.

EPISTOLA

CONSOLATORIA,

SCRIPTA

AD CHRISTIANUM FRATREM,

QUI HOC SOLATIO TEMPORE

TUTELAM LIBERORUM ALTERI-

US INTERDUM OFFEREBAT.

AUCTORE

SALOMONE MORANO,

PHILOSOPHIAE OLIM APUD VRATISLA-

VIENSES IN GYMNASIO DOCTORE.

PRAGAE

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA DIONYSIANA

M. DC. LXXXVII.

VIRO
MAXIME REVERENDO, CLARISSIMO
ATQUE DOCTISSIMO
DN. BERNHARDO
RAUPACHIO,
THEOLOGO AC POLYHISTORI,
cujus
PIETATEM ET CANDOREM, ERUDI-
TIONEM ET FACUNDIAM INCLUTA COLIT
HAMMONIA, PURIOR CELEBRAT
CHRISTI COETUS,
IN PUBLICUM NON FUCATI AMORIS
DOCUMENTUM,
HOC, QUANTULUMCUNQUE SIT, LIBERALIS
DE ALIENO, OFFERT:
SUMMUM PRÆPOTENTIS DEI NUMEN,
UT PORRO
LABORIBUS IPSIUS CUM SACRIS TUM
LITERARIIS SUO PRÆSIDIO AUXILIOQUE
ADSIT, AC VITAM VIRESQUE ET GRATIAM AD
PLURA IN HONOREM SANCTISSIMI NOMINIS
EJUS, EMOLUMENTUM COMMISSI GREGIS,
ET AMPLIFICATIONEM PARTI DUDUM DE-
CORIS FELICITER PERFICIENDA, ABUN-
DANTISSIME LARGIATUR,
TANDEM VERO PLENUM ANNIS AC
MERITIS, GRATIOSA MISSIONE â CURIS LA-
BORIBUSQUE AD SUPERAS ÆTERNÆ
QUIETIS SEDES RECIPIAT,
TOTO PECTORE PRECATUS
EDITOR.

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id373526644/7 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id373526644/8
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG

I. N. J.

Inter eos me esse, Lector humanissime, non diffiteor, qui recentiorum bene cogitata solideque elaborata haud spernunt, veterum vero diligentiam ex merito æstimant, illorumque scripta perlibenter legere solent. Enimvero ex ipsorum fonte ut plurimum sua illi prata irrigarunt, aut raptim etiam & furtiva manu in suos derivarunt rivulos, quæ multo assiduoque labore ipsimet elucubrasse videri volunt. Accedit, quod haud raro nec fontem vel aliquo modo coronent, ex quo aquam melioris notæ hauserunt, nec grata, candidaque, quod fieri par erat, mente, per quos profecerint,

fateantur. Spirant imprimis Theologorum ſeculi ſexti & decimi circa primordia reparatorum divina gratia ſacrorum edita ſcripta quendam ſinceræ pietatis quaſi odorem, & perſpicua ſimplicitate, quam ſingulari gravitate temperatam videas, zeloque haud fucato vividam atq; virilem ſcribendi rationem ſequuntur, quæ & plura alia, ut: ſpiritus divini, devotionis igneæ, ac roboris multis experimentis confirmati in illorum libris veſtigia tantam, niſi totus fallar, in animis lectorum vim habent, & exſerunt, quantam in pluribus recentiorum, & noſtri ſæpe ævi commentationibus verborum globulis ac ſeſamo abundantiſſime exornatis, & conquiſita undique eruditionis ſpecie nitentibus vix deprehendas.

Com-

Commodum igitur accidit, ut nuper admodum, quæ gnava selectione subinde a multis annis collegi volantes quasi & dispersas superioris ævi chartas, in manus meas forte incideret libellus, diu satis etsi nihil tale meritus, in tenebris jacens, neglectimque habitus, quem typis publicis repetitis luci publicæ reddere animo mecum, variis nec contemnendis, credo, rationibus inductus constituebam. Sermo mihi videbatur esse de tempore, quo proximus ardet paries, imprimis si irato peccatis nostris Deo permittente, quod diu noctuque & variis adhibitis machinis moliuntur, Barbarorum in servitutem recidat vel Hungaria vel Transylvania: & totum, qua partium illarum est, quæ Christianæ fidei formulam sequitur, orbem spes metusque belli, hactenus ex voto non

gesti, continuandi suspensum anxiumque tenet.

Etenim quem, quæso, non ad commiserationem lugendique societatem commoveant tot copiarum ex floro nobilitatis & militum collectarum, ad internecionem usque deletarum, millia? tot hostium ferocia vel crudeliter occisorum incolarum proximarum Hungariæ provinciarum, vastitate sua miserarum & ab incolis tenui numero residuis fere desertarum? vel quod ipsa morte majus malum est, tot tantique greges inermium fœminarum, puerorum, puellarumque in horrendam captivitatem abductorum turpissimeque haberi solitorum? Ut taceam fœdæ luis contagium, quod finibus nostrarum terrarum imminet, aliorumque inde manantium malorum cumulos, quæ vel dubii

even-

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id373526644/12 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

eventuum futurorum metuimus, vel ipsa jam, exhaustis tantum non opibus deficiente commerciorum flore & civium abundantia ad sufficiendum novum militem necessaria, magno cum dolore nostro sentimus.

At verò sunt nihilominus, qui rerum, quæ in orbe geruntur, incuriosi, & suæ, qua in præsenti gaudent, conditionis, si modo firma stabilisque ea sit, securi nulla aliorum calamitate tanguntur. Hi fere sunt, qui obdurata aure utrâque gemitus ploratusque miserrimorum hominum, & ingentes publicis nunciis allatas clades vix attendunt, dum modo summam rerum suarum in tuto collocatam sibi persuasum habent; inhumanum durumq; hominum genus! Hos vero, qui cum sensu calamitatum humanarum hominem ipsum nobis exuisse

videntur, missos faciamus. Etsi non dissimulare possim magna provisione animi & sedula ad minuendum dolorem præparatione opus esse, ne metu futurorum malorum, quorum caliginem premit Deus, vehementius affligamur, atque nimis conturbemur.

Eo fine imprimis Ambrosii Moibani libellum hunc lectori pio doctoque commendamus accurate gnaviterque legendum, quo lacrymas & gemitus fratrum Christianorum in vicinis Hungariæ regionibus, rabie & furore hostis acerrimi excitas abstergere & mitigare, qua potuit opera ac contentione, allaboravit. Præstitit etiam, credo, non sine nutu & auxilio summi Numinis, ad quod perficiendum, religiosa animi pietate & amore in miseros valde commen-

dabili

dabili ductus se accinxerat. Parum hinc abest, quin fato libelli, qui mascula & ea, quæ ad materiam hanc requirebatur, eloquentia rerumque viac pondere gravis, spiritusque singularis devotione incomparabili scriptus est, aliquo modo succenseam, quod tantum non memoria ejus animis nostrorum hominum excidisse videatur; ut vix centesimo oculis suis usurpatum animo menteque præfinire ausim. Auctor ejus Theologus est meritorum honore, quæ in cœtum patriæ suosque posteros omnes extant, summus, cujus vitam Melch. Adami, Casp. Sommerus, M. Hansius, Theod. Crusius, & imprimis Adam Pantkius fusius descriptam dederunt. Nos vero elogium ejus ex viri magni Nicolai Henelii,

Con-

Consiliarii olim Cæsarei & Vratislavienſis Reipublicæ Syndici, copiis docte eleganterque elaboratum exhibemus, quod non ſine animi delectatione, quisquis guſtum purioris Latinæque eruditionis habet, legere poterit, Adde nullam amplius ſpem ſupereſſe integrum opus ipſum Auctoris, unde mutuo ſumſimus, Sileſiæ Togatæ doctiſſimum licet, & ſummo in pretio habendum, aliquando e tenebris muſei noſtrorum civium reductum iri.

Nec alio reſpectu quædam per appendicem adjecimus, ideoque Gigantis ſimul vitam cum lectoribus communicare voluimus. Theologus ille etiam multis in rem literariam & ſacram in & extra patriam meritis inclutus, & ab omnibus, quod mireris trium

in

in Germania religionum affeclis certatim, & rara animorum conſpiratione, laudatus eſt. Notitiam ejus aliquam dederunt, quem excitavi antea Melch. Adami, & accuratius pleniusque Kindervaterus in Northuſa ſua illuſtri. Nos vero ſuppeditamus calamo hæredum Gigantis exaratam, & nemini hucdum, quod præcipio, viſam rerum ipſius hiſtoriam, quæ profecto ideam veri perfectique Theologi exhibet, & multa egregie nos docere & commonefacere poteſt.

Quicquid tandem ſit, quod bono animo recudi hac collectione feci, lectu prorſus non indigna omnia & ſingula fore, & ad commiſerationem erga fratres ſub belli hujus onere gementes, precesque pro iis atque nobismet ipſis

in

in hac rerum omnium perturbatione fundendas utiliſſima ratus, non tamen omnium verborum & apicum defenſionem in me recipio, ſi moroſius examen ſubire cogantur. In vota ideo precesque ſumma animi pietate & toto pectore nunc deſinamus: Abſtergat tandem ſummus pacis omnis princeps nutu cœleſtique prudentia ſua Martium ſudorem ab heroum Chriſtianorum vultibus, & ſangvinem Chriſtianum helluantes Turcas reprimat, illorumque immanem ſuperbiam victricibus noſtrorum armis confundat, fines imperii Rom. ab omni impetu ac ſævitie hoſtium immunes ſervet ac tueatur, tandemque coalitione animorum in pacis duraturæ conditiones æquas, gladios in vomeres conflare jubeat; ut,

quod adſtrictis ad vulnera Chriſti precibus cupimus & vovemus, nos atque noſtra, ſi qua futura eſt, poſteritas, gratiam & pacem Jeſu Chriſti haud interrumpenda poſſeſſione habeamus ſub benigno & moderato imperio *Auſtriacorum Patriæ Patrum* ad rerum omnium usque finem in debita animi erga Deum *Cæſaremque* ſubmiſſione per omnes vitæ noſtræ dies manere, & grata in ſedibus avitis quiete atque innumerabilibus pacis emolumentis uti, frui valeamus.

Svidnicii Kal. Aug. A. R. S.

MDCCXXXIX.

(o)

Dilecto

Dilecto in Chriſto fratri D. Joanni Creslingo, fideli Evangelii, in Eccleſia Schemnicenſi in Montanis Hungariæ miniſtro.

S.

Non habeo aliud mi frater, quod hoc tempore, ad tuas triſtiſſimas literas reſpondeam: niſi quod te tuosque omnes, nomine omnium fidelium Domino Jeſu Chriſto, Dei filio, liberatori noſtro commendem. Hic te ſervet & protegat, & faciat ut Danielis, & Hieremiæ ſpiritu confortatus, conſtanter Evangelium contra blaſphemum os Machometis prædices. Hic accendat Cor tuum ut verba loquaris ignea, poſſisque confortare in fide, infirmos omnes & puſillanimes. Sis fortis, ſis robuſtus in domino. Vale, & ueluti murum ferreum univerſo regno Satanæ & Turcarum tyrannidi te opponito.

Piis ac fidelibus in Chriſto fratribus, Turcarum Tyrannide afflictis Ambroſ. Moiban. precatur.

Gratiam ac pacem a Deo Patre, ac Domino noſtro JESU CHRISTO. Chariſſimi in Domino fratres. Si quis uſpiam eſt, homo pius, ſi cui ſanguis CHRISTI pretioſus eſt, ſi cui denique membra CHRISTI chara ſunt, hujus animus, commemoratione, communium calamitatum veſtrarum, ad inenarrabilem commiſerationem commovetur. Quis enim Turcicam Tyrannidem & crudelitatem ſine acerbiſſimo animi dolore cogitare poteſt? Magno ſunt in mœrore & luctu propter vos, immo propter univerſam Eccleſiam, omnes qui CHRISTUM adorant, & ipſum filium DEI ac totius mundi ſalvatorem eſſe confitentur. Norunt omnes miſerias ac perſecutiones veſtras, quotquot CHRISTI, & Corporis ipſius, afflictiones intelligunt. Atque utinam audiretis multorum gemitus & ſingultus in univerſa CHRISTI Eccleſia: utinam videretis defluentes

ex

ex oculis quorundam piorum lachrymas: qui omnes ad patrem misericordiarum pro vobis omnibus preces fundunt. Sunt profecto non pauci, credite mihi, sanguine CHRISTI obsignati, qui morsu ingentium dolorum sauciati ad DEUM clamantes orant: ut vos, in tam afflicta omnium rerum vestrarum, tam privatarum quam publicarum conditione consoletur, ac tueatur. Et nihil sane dubitamus, ipsum quia est multæ misericordiæ, auxilium suum nobis & vobis omnibus brevi e cœlo missurum esse. Promisit enim se affuturum, simulatque eum invocaverimus.

Sed audite Chariſſimi fratres, audite quæso causam cur benignus pater suos quos diligit, in tantas miserias & calamitates conjiciat. Multi enim judicant afflictiones quas patiuntur sancti, tantum signa esse iræ & furoris Domini, verum ut istorum sententiam non in universum improbamus: ita non negandum est, aliam quoque hic subesse causam, quam nisi intellexerimus, facile in quavis levicula cruce occumbemus.

Afflígimur quidem merito propter peccata noſtra, quibus toties DEUM offendimus & ad iram provocamus, ut recte Daniel in ſua Oratione ad DEUM, confitetur: nihilominus tamen ſanctos ſuos in quibus jam nulla eſt condemnatio, propter CHRISTI reconciliationem, non ceſſat, dum hic vivunt affligere. Horum Cruce, ſanguine, & morte vult glorificari, imo horum fidem vult probari, & expoliri tot ac tantis afflictionibus.

Hoc eſt quod ſcire & intelligere oportet omnes Chriſtianos; qui id non intelligit, CHRISTI non eſt. Diſcimus autem illud ex verbo DEI. Sic concionatur CHRISTUS, ſic Prophetæ omnes, & Apoſtoli clamant: Probandam ſcilicet eſſe fidem noſtram perſecutionibus, & ærumnis multis. Alias quomodo de ſanctorum ſalute certi erimus. Quis noſtrum unquam ſaluabitur? Quis in Cruce non deſperabit? Unica hæc eſt Eccleſiæ CHRISTI conſolatio, quod certa eſt nos pati & affligi propter fidem, quæ ut argentum igne probatur, in Cruce eſt purificanda. O vere ſanctam Crucem, o vere beatas perſecutiones, quæ in eum fi-

nem reſpiciunt, ut in ipſis quam certa, quam firma ſit fides noſtra in JESU CHRISTO Domino noſtro, declaretur. Et ut ferrum rubigine, ſi eo non utaris, perit: ita fides absque Crucis exercitio evaneſcit.

Primum igitur nobis omnibus, qui CHRISTI ſumus, ita ſtatuendum eſt: nihil eſſe in toto mundo Patri cœleſti, fide charius & acceptius, & quo citius ira ejus mitigetur. Verum ut illa DEO longe eſt gratiſſima: ita Satan hanc omni odio invidia, & malevolentia perſequitur. Nam ut vehementer CHRISTUM odit: ita fidem in CHRISTUM ſupra modum execratur. Ideo quo DEO eſt probatior, hoc magis omnium adverſitatum genere eſt expolienda. Hoc ubi Satan obſeruat, & videt ceu abjici, & negligi, a DEO ſanctos (ita enim judicat, DEUM ipſis iraſci) nihil contatur, quum ſit artifex omnis malitiæ & verſutiæ, mille contumelias, mille injurias, mille afflictiones, mortes, cædes &, infamias innumeras excogitare, quibus eorum mentes a DEO alienet, fidem ſubvertat, eosque tandem in ſuum regnum, quod mortis & tenebrarum eſt regnum, transferat.

Quid enim non tentavit in oppugnanda CHRISTI in DEUM patrem cœleſtem fiducia? Quas non evomuit in eum contumelias? Quas blaſphemias in illius paſſione non exſpuit? Quibus machinis illuſionum non petiit? His omnibus, eum ad defectionem a patre ſuo cœleſti & ad abnegationem regni & vitæ æternæ ſolicitavit. Dixit illi per impuriſſima ora Pontificum Annæ, Cayphæ & ſcribarum: hi enim ſatellites ſunt Satanæ, & folles omnis blaſphemiæ: Eccum vobis hunc CHRISTUM? Eccum meſſiam DEI filium, & per Pilatum dixit, Ecce Rex veſter? En coronam, ſpinas? En ſceptrum regium, arundinem. Et dum in cruce inter duos latrones pendet audivit CHRISTUS has exprobationes: Alios ſalvos fecit, ſemetipſum ſalvare non poteſt. Item, ſi filius DEI es, deſcende de cruce. His tamen omnibus CHRISTI in patrem fiducia non eſt labefactata, firmus, nihil mutatus, in obedientia patris ad mortem usque permanſit. Huc huc pertinent o Fratres, perſecutiones veſtræ, in quibus propter CHRISTUM ad purum excoquendi eſtis. Quia, Satan mundi princeps,

ceps, & maximus regni CHRISTI adversarius, videt confessionem & fidem vestram, in Dominum nostrum JESUM CHRISTUM: Immo videt vobis cordi esse illius verbum, & vos in eo solo sperare & quærere remissionem peccatorum & vitam æternam: Prodit contra vos cum omnibus furiis infernalibus. Assumit quoscunque nequissimos spiritus, quibus vos quam tumultuosissime adoriatur. Conscribit contra vos & CHRISTI Ecclesiam, militem, quemcunque potest pessimum & impiissimum: Huc convocat Tyrannos omnes quorum probe tenet nomina, in primis vero Turcam Tyrannum omnium truculentissimum, Turcarum nationem & fecem universam, quæ crudelitate & perfidia, nationes alias omnes superat. Hoc duce hoc imperatore, hac pessimæ gentis illuvie, erectis signis, hodie non solum contra vos, sed contra universum orbem Christianorum rapitur. Quam ob causam quæso? Ut CHISTUM perdat fidem vestram infamet & Ecclesiam sanctorum congregationem dissipet.

Nolite quæso, nolite cogitare Turcam tantum velle occupare regna, Urbes

& ditiones Christianorum, non in hoc conquiescit ipsius tyrannica rabies. Aliud quærit, aliud molitur, instinctu Satanæ spiritus sui iniquissimi. Quod Herodes in occidendis infantibus, Pharisei in perdendo CHRISTO & Antiochus in Judæis mactandis quærebat. Id Satan hodie per mahometicum suum Turcam quærit, vult is extinctum Evangelium deletam doctrinam sanam, & obscuratam CHRISTI gloriam, vult nullam esse Ecclesiam in qua verbum DEI audiatur & sacramenta, fidei nostræ symbola, administrentur. Totus in hoc est, hoc spirat, hoc contendit, hoc urget & conatur ut Mahometis fædissimi nomen per totum mundum adoretur & invocetur.

In hac pertinacia & voluntate Turcam esse vos non ignoratis: Quamvis vulgus id non spectet, ut de tantis rebus tantos motus per Turcam excitari intelligat. Putat enim tantum certari de regno aliquo terreno, ut regno Ungariæ aut aliqua ditione principis, seu de limitibus regnorum hujus mundi: Tametsi horum omnium excidium moliatur, majora & horribiliora profecto molitur. Sunt igitur admodum

admodum rudes & simplices, qui non aliter de his rebus judicant, non profecto decertatur hic pro Helena aliqua, non pro arce Trojana, sed pro Ecclesia. Hæc in periculum vocatur, hæc conculcatur per turcarum immanitatem, Turca CHRISTI nomen vult extinctum, quid dicam amplius? Turca verbum DEI sacrosanctum Evangelium æterna tenebrarum caligine vult obscuratum, quid crassius dici potest. O furorem vere diabolicum.

Id quia vos intelligitis, eoque spectare Tyrannidem hujus beluæ animadvertitis, expendere debetis vocationem vestram. Hanc quæso magnificite, Magnificite quæso. At, quæ est vocatio vestra? Hæc, ut in cruce & persecutionibus maximis fidei vestræ robor, non solum vobis sed universæ Ecclesiæ CHRISTI manifestetur, DEUS vult vos fieri ἔνδειγμα seu ostentationem, imo manifestationem justi judicii sui, quod ideo diligentibus se, qui perpetuis afflictionibus sunt probati, regnum ante mundi Constitutionem paratum, benigniſſimè oblaturus sit, adversariis vero & persecutoribus Ecclesiæ suæ æternas inferni flammas

objecturus. Huc pertinent ſententiæ in ſcripturis, quod per multas affictiones oporteat nos intrare in regnum DEI. Item afficient eos morte propter nomen meum verum qui ſuſtinuerit usque in finem ſalvus erit. Ecce has laudes hæc præmia habet veſtra vocatio. Fides veſtra ideo periculis obiicitur, ideo ſanguinem veſtrum effundi creditote ut confirmetur & acuatur fides veſtra, adverſus Turcam Satanam & omnes rabioſos illos ſanguinarios.

Romani quidam, egregiam laudem atque nomen nulla ætate intermoriturum, imo æternam gloriam, ſe aſſecutos eſſe, in hunc usque diem, in hiſtoriis vociferantur: Quod pro patria & reipubl. ſalute occubuerint & fortiter in acie pro liberis dimicarint hoſtique ultro jugulum porrexerint. Eſt equidem laudanda illorum fides & animi magnitudo eſt virtus omnibus ſeculis apud poſteritatem prædicanda: At major & excellentior eſt omnibus modis, Chriſtianorum, imo veſtra gloriatio, major laus & majus præmium. Non enim pro patria hac terrena, non pro liberis & facultatibus hujus temporis nobis morien-

dum

dum eſt & fortiter in cruce & morte perſeverandum: Pro CHRISTO qui Rex eſt & Pontifex noſter ſummus, pro Eccleſia, pro regno DEI, pro ſacris pugnandam eſt nobis Chriſtianis & moriendum. Quos nec mors, nec vita, nèc fames nec nuditas, non paupertas ulla, nullum periculum, non horror mortis, non gladius, non ignis, non aqua, non omnes furiæ diaboli a DEO Patre & Filio ipſius ſeparare debent.

Chriſtianorum item hæc eſt vox, hæc conſultatio plena divinæ gloriationis, contra omnem poteſtatem Satanæ contra Turcam & omnium perſecutorum crudelitatem. Quin auſcultatis, huc aures veſtras arrigite, in hac fiducia ſtant omnes Chriſtiani, ut aliud non loquantur His verbis inſultant, Satanæ & Tyranno mahometico.

Stamus inquiunt & perduramus, imo gloriamur. O Tyranni, o Turcæ ſub ſpe æternæ gloriæ: Quæ non fallit, quàm nullus Satan à nobis poteſt eripere, nulla calamitas ê manibus noſtris extorquere, neque ſolum de hac ſpe gloriæ elati ſumus & ſuperbi contra vos, gloriamur etiam ſu-

per

per afflictionibus & perſecutionibns, quas fortiter per CHRISTI ſpiritum ſuſtinemus. Dum vos impiiſſimi ſanguinarii, ferrum in viſcera noſtra ſtringitis, dum infantes & liberos noſtros in conſpectu noſtro, in fruſta diſſecatis, dum nobis ſpectantibus miſerrimas uxores noſtras occiditis. Dum in uterum prægnantium mulierum ferro irrumpitis, & quæ ibi natura abdita eſſe voluit veſtris nefariis oculis prophanatis, indeque teneros & immaturos artus miſeri fætus vi extrahitis O immanes beluæ dum filias noſtras & juventutem noſtram, obliti omnis humanitatis & pudoris, omni infamia afficitis, & more pecudum, perditiſſime tractatis, dum electioris ætatis Chriſtianos, funibus & catenis vinctos & colligatos, tanquàm mancipia abducitis, dum illos in publico foro in Turcia denudatis, & tanquàm vitulos & bruta venditis, dum omne genus crudelitatis & atrocitatis, in illis affligendis exercetis. Nihil fides noſtra labefactatur, imo nec unguem latum à CHRISTO noſtro dimovemur & à gloriatione non diſcedimus, non minæ veſtræ, non ferrum, non crudelitatis genera omnia, animos & fidem

fidem noſtram frangunt, imo ridemus, omnes ſannas, omnes blaſphemias & contumelias, quàs in nos congeritis.

Gaudemus gaudemus o perfidiſſimi Turcæ de paſſionibus noſtris. Vobis hic inſultamus hicque vobis invitis in aures veſtras ingerimus, num putatis CHRISTUM, noſtrum defenſorem mortuum eſſe, num patrem noſtrum cœleſtem nulla cura noſtrum tangi arbitramini? An in manu & poteſtate veſtra eſſe putatis, nos occidere? Minime, minime, o beluæ. Si nos occidiſtis, quid quæſo occidiſtis, corpus fragile & mortale, num etiam in animas noſtras, cruentum gladium ſtringitis? Non equidem, cur has quoque non occiditis: Et veſtro turcico ferro in fruſta minutatim conſectas canibus & volucribus cœli, devorandas objicitis? O vos miſeros. O impotentis potentiæ Tyrannos, o imbelles bellatores & carnifices. Stat CHRISTUS pro nobis contra vos, hic vetat, hic prohibet ne in animas noſtras ſæviatis. Dicit enim nolite tangere dilectos meos, hi ſunt pupilla oculi mei. &c.

Itaque o mahometicæ beluæ & ſi præ ira & furore rumpamini, gloriamur tamen,

men, de his omnibus contra Tyrannidem veſtram, de cædibus, de laniæna veſtra in qua crudeliſſime mactatis homines Chriſtianos, de injuriis, de blaſphemiis, de contumeliis, quibus CHRISTUM noſtrum & nos conſpuitis neque exiſtimare debetis, o Filii DEI & crucifixi noſtri, contemptores, nos in his debilitari, & vim roboris noſtri, quod ex DEO eſt, attenuari, cum vobis videmur infirmiſſimi, ſumus fortiſſimi, nam virtus & potentia noſtra, quæ ex DEO eſt, in hac noſtræ carnis infirmitate eſt abſcondita, tumque maxime eluceſcit, cum mors nos abſorpſiſſe videtur eſtque noſtra crux & afflictio, patientiæ mater. Patientia vero parit probationem. Rurſus illa ſpem nobiliſſimam ac ſanctiſſimam prolem, quam pudefieri in ulla perſecutione impoſſibile eſt; ſiquidem in DEO fixa eſt. Hæc petra noſtra eſt qua nitimur, hic triumphamus hic trophæum noſtrum erigimus & ſtabilimus. Hic exuvias veſtras & ſpolia ſuſpendimus: Quæ & ſi nunc non videatis, tamen videbitis ea in die noviſſimo, non abſque magno cruciatu. Hac cogitatione animum noſtrum obfirmavimus, nullam poſſe eſſe

tantam

tantam difficultatem nullas minas nullos terrores nullam truculentiam & carnificinam quam non eluctemur. Si blanditiis mollitudinem Carnis noſtræ pertentaveritis, non perſuadebimur, quantumvis infirmi & miſeri ſumus in oculis veſtris. Scitote fortiſſimum in nobis esse CHRISTUM.

Age igitur nunc o Tyranne. O Turca occidito nos, diſcerpito, conſodito diſſecato, proſternito, conculcato, conſpuito & contemnito, non curamus: Ridemus hæc omnia propter regnum Crucifixi noſtri, quem tu acerbiſſime rides, anguſtior eſt Tyrannis & ferocia tua, quàm ut potentiam hujus abſorbeas. Nullo Terrore tuo & truculentia vacillabimus, atterit & comminuit omnia in nobis CHRISTUS. Scias nos esse poſteritatem, ſeptem illorum millium virorum, quorum corda mendaciis Baal non ſunt infatuata. Mahometis tui ſpurciſſimi manus oſculabimur? Illi genua curuabimus? Apage, apage. O Tyranne! hunc audimus, qui omnibus Tyrannis & mortalibus dicit. Mihi curuabitur omne genu, & omnis lingua in nomine meo jurabit. Quid igitur

o Tyranne

o Tyranne nos fruſtra occidis? Quid tibi hinc eſt commodi? Nihil, nihil profecto. Penes nos eſt victoria, non penes te, nos lucrum facimus, non tu, cum nos affligis & mactas cruentis tuis manibus, Perge igitur perge, vane, inepte & iners Tyranne: Et animo & corpore, per diabolum tuum principem excæcate, perge perge in hac cæcitate: in abyſſum æternarum tenebrarum. Præcipitare in voraginem ſempiternarum pœnarum. Hæ te certiſſime expectant. Hic chorus eſt furiarum, omnium diabolorum omnium malorum ſpirituum, qui te recipiet. Audis hæc præmia tua? Audis felicitatem & dignitatem qua coronaberis? Hic fletus, morſus & cruciatus æternus te conficiet. Nobis interim in patriam noſtram cœleſtem receptis. Ubi cum CHRISTO domino noſtro regnabimus in ſecula ſeculorum, Amen.

Hæc ideo o fratres in CHRISTO chariſſimi, pluribus verbis dixi, ut haberetis, quo animi veſtri, magis ad conſtantiam & perſeverantiam fidei accendantur. Talibus vocibus, reſtiterunt olim ſancti Martyres Tyrannis, ſic Nerones, ſic Caligulas, Julianos & alios Satanæ lictores contempſerunt,

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id373526644/36 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

tempſerunt. O voces ad omnem immortalitatem conſecrandas. O gloriationem non tam laude quam conſtantiſſima imitatione digniſſimam. His verbis, his vocibus, & ſanctis affectibus Tyrannum crudeliſſimum contemnetis, de ſolo CHRISTO veſtro gloriabimini. Nolite per CHRISTUM, nolite hunc timere. Nam non capillus cadit de capite veſtro, abſque voluntate patris veſtri. State ſtate quæſo, & eſtote firmi & fortes, ſitis magnanimi milites, principis & Domini veſtri, JESU CHRISTI. Per hujus ſanguinem, in quo eſt redemptio noſtra, vos obteſtor, ne vos Tyranno omnium crudeliſſimo dedatis: nolite fieri illius mancipia, qui in æternam libertatem per Salvatorem veſtrum translati eſtis. Solicitat vos ille ad deditionem? Nunquid parebitis? Minime. Multis poſtulatis & minis ſuis, imo & pollicitationibus, animos veſtros ſubvertere die noctuque laborat? Nunquid audietis Tyrannum? Abſit abſit. Cogitate vos eſſe ſub Chriſtiana poteſtate, ſub rege Chriſtiano, qui divina ordinatione Rex eſt conſtitutus, qui eodem fonte baptiſmi vobiſcum eſt tinctus.

ctus. A quo deficere ſalva conſcientia veſtra non poteſtis. Proponite vobis in exemplum, venerandæ ætatis virum Eleazarum Judæum: & mulierem illam cum ſeptem filiis: cum omnes eſu ſuillæ carnis vitam redimere potuiſſent: ut narrat Machabæorum hiſtoria: maluerunt extremos ſubire cruciatus: quam dare ullam ſignificationem, neglectæ & violatæ à ſe legis divinæ. Reputabant enim apud ſe dicentes: Si ſuillas guſtaverimus, DEUM cum univerſa lege: teſtimonio conſcientiarum noſtrarum, abnegaſſe convincemur. Quare avitæ & veræ religionis veſtræ memores, cogitate vobiſcum: quam fidem inprimis DEO veſtro, deinde quam fidelitatem Regi veſtro, principi Chriſtiano. Nam inter Chriſtianos Chriſtianus, Chriſtianum ſuſtinet DEI clementia magiſtratum. Turcarum Tyrannus, irriſor eſt CHRISTI, & nomen ejus odit & perſequitur. Quanto igitur tutius erit eum habere & agnoſcere magiſtratum, qui CHRISTUM confitetur, cuſtosque legis divinæ & veræ & cœleſtis religionis eſt: quam impio Tyranno cervicem ſubjicere: qui aliud non agit & vult: quam CHRI-

STUM

STUM conſpui & Mahometicum ſuum diabolum adorari. Quare hic prudentes eſtote & circumſpecti nec aliter judicate: Si vos Turcæ poteſtati ſubmiſeritis: quam vos fide excidiſſe, & jam non eſſe CHRISTI & Eccleſiæ ipſius membra.

Non hæc o fratres in Domino, dico quod vos infidelitatis aut inconſtantiæ inſimulem. De fide, de candore veſtro in religione non dubitamus. Quid enim de fide eorum dubitari poſſit? Qui toti ex CHRISTO pendent, & intelligunt ſe non temere in mortem CHRISTI baptiſatos ad novæ & cœleſtis vitæ poſſeſſionem? Ideo hæc dicuntur, ut id ingenue & ex charitate fraterna non diſſimulem: quod fortaſſe quidam ex ſimplicioribus & infirmioribus ſint, qui exiſtiment: tranquilitatem quocunque modo quærendam eſſe, ut quiete cum liberis & uxoribus ſuis domi vivant. Si qui ſunt in hac opinione, multum falluntur & imprudenter deditionem ſuam dent: ſomniantes neſcio quam dubiam & fictam Tyranni pacem, quam promittit. Non credite o CHRISTI milites: non credite Teucris: imo Turcis: ſic enim nobis jam loquendum

eſt, Verſutus eſt Tyrannus, perfidus eſt, fallax eſt, expers omnis humanitatis, doli plenus, omnium malarum artium confictor, perfidiæ cujuſcunque generis concinnator, fidem non ſervat: eſt enim Tyrannus neq; tantum Tyrannus in miſeros Chriſtianos, ſed in majeſtatem ipſam quæ in cœlis eſt, in quam ſuperbiſſime eſt blaſphemus. Si quis eſt tam imperitus rerum, is non intelligit cauſam religionis noſtræ periclitari. Non videt pro Eccleſia & æterna vita decertari. Quam quæſo pacem? Quam libertatem? Quam ſecuritatem polliceri nobis poteſt Tyrannus? Crocodyli ſunt lachrimæ, mendax eſt, & hoſtis veritatis Turca. Quam igitur pacem proponet cum hoſtis ſit veræ pacis? Ex patre ſuo diabolo tantum mentiri didicit, & veritatem acerbiſſimo odio perſequi. Sed pudet me quosdam de his admonere, verum ita tepet in nobis CHRISTI cognitio & fides. An præferimus momentaneam pacem, terrenas poſſeſſiones & temporaria bona, æterno CHRISTI regno: in quo eſt pondus εἰς ὑπερβολὴν æternæ gloriæ? Fluxa & fucata ſunt, quæ Turca, quæ Tyranni promittunt. Etſi aliquam ſpeciem

em habeant boni, tamen nihil habent ponderis. Nihil ſubeſt ſolidi, nihil firmi. Mentitur mentitur blaſphemum os, mentitur hoſtis CHRISTI. Hoc agit quod ſæpe dixi: hoc agit ut in naſſam ſuam illectos: nos, in Eccleſiam, in Evangelium divinitus revelatum contumelias evomere compellat. Quoties enim hominem aliquem pium, CHRISTI amatorem nactus eſt, hunc flagris, verberibus & minis cogit, ut dicat in contemptum religionis noſtræ. Maledictus ſit pater meus. Maledicta ſit mater. Maledicti ſint omnes, qui me in nomine CHRISTI baptizari curarunt. Maledicti ſint, qui me illius nomen invocare juſſerunt ex eoque ſperare ſalutem. O impudentes blaſphemias! O voces execrabiles! Sed hæc vos non latent, mille, mille ſunt blaſphemiæ Mahometicorum Turcarum. Noſtis nuper Turcas Budæ in ſede regia regum Hungariæ: felem animal tantum muribus capiendis natum: cruci ſuffixum, hiſque diebus, in quibus CHRISTI paſſio apud nos commemoratur: in contumeliam CHRISTI & omnium Chriſtianorum circumtuliſſe? O pectus ferreum

o homi-

o hominem uberibus brutorum nutritum, quem hæc blaſphemia non moveat, excutiunt iſta omnibus piis lachrimas, mærore acerbiſſimo animos pietate imbutos implent. Dum itaque pacem promittit. Cavete; Si non eſt: Nulla vos pollicitatio moveat, nullæ blanditiæ vos capiant. Imo terreant vos veſtigia. Prædam ſemel ungvibus prehenſam, hæc beſtia elabi non ſinit. Quam fuerit miſericors, quam mitis, quam benignus hic Tyrannus, docent vos multa exempla. Nota eſt hiſtoria de proditore, urbis Conſtantinopolis, qui & civis erat ejus urbis. Quod proditionis præmium a Mahomete Tyranno is accepit? Pro filia Tyranni, quam ſibi ſponſam fore credebat, calidos cineres, quibus nuda ejus cutis aſpergebatur: pro dote, mortem ignominioſiſſimam. Quam fidem ſervarit Principibus, Serviæ & Bulgariæ non eſt obſcurum. An putamus hunc Tyrannum hoc tempore noſtro, aliquo novo & meliore ſydere correptum & mutatum? Ah quam libertatem promittere poteſt? Niſi eam, quæ eſt ſervitus turpiſſima, & in CHRISTUM noſtrum contumelioſiſſima blaſphemia.

Proinde

Proinde ſunt qui objiciant nobis felices ſucceſſus, proſperos eventus & tot victorias hujus Tyranni, quod videant illi omnia ex ſententia evenire. Audiunt enim Turcas nobis exprobrare noſtras calamitates his verbis: Ah vos cæcos & miſeros Chriſtianos, quo faſcino dementati eſtis? Quæ eſt hæc inſania veſtra? Cur fruſtra arma contra nos ſumitis? Nonne videtis DEUM vobis iraſci, & numina omnia flagrare odiis contra vos? Videtis, quam omnia vobis ſint infeſta? Adverſatur vobis cœlum, terra, maria, ut ubique infeliciſſime pugnetis. Videtis penes nos eſſe victoriam & fortunam omnem: penes vos vero omne infortunium & calamitates innumerabiles. Cur vos non deditis? Cur Imperatori noſtro contamini ſubjici? Num creditis vos curæ eſſe DEO? Et illum vobis eſſe propitium? Ubi eſt CHISTUS veſter? Ubi crucifixus ille? Si illius eſtis populus, Cur non defendit? Dormit ne? Eſt ne alicubi in convivio, apud Æthiopas? Quas urbes, quas arces munutiſſimas non expugnavimus? Videtis Aſiam univerſam parere noſtro imperatori. Græciam, Macedoniam ſubegi-

mus, Ægypto & Syriæ dominamur. Ad Varnam quam feliciter rem gesserimus, num vos latet? Rhodum insulam munitissimam cepimus. Et nuper adeo, Hungariam qua fortuna fregerimus videtis. Ludovicum regem quam subito & cum eo multos Proceres & Episcopos regni extinxerimus, nunquid obliti estis? Buda nunc nostra est, nostra est alba Græca. Videtis quam` sævitum sit paucos ante dies in vos Christianos, in Alba regali? Scitis quod millium sanguis ibi effusus est? Scitis capita Christianorum inundatione cruoris, quasi in rapido amne, avecta & deportata? Sed horrescit animus plura commemorare: nemo potest has impudentias absque magno dolore eloqui.

Sed hic obsecro paululum mihi aures vestras præbete, & patientius me audite: si qui sunt, quorum animi hisce Turcarum exprobrationibus, & insultationibus permoventur. Nec puto nisi dejectissimi animi homines hisce terreri. Unde hoc certum & indubitatum sit apud vos: Crucem, opprobria, & contumelias has non esse signa iræ DEI contra sanctos: verum signa per quæ vult ipsis manifestari,

ri, ſuam paternam voluntatem, & divinam defenſionem. Quos enim pater ille diligit hos flagellat, & CHRISTUM oportuit per mortem crucis in regnum patris ingredi, & ſic prædicari in nomine ejus pœnitentiam per univerſum mundum: & oportet nos conformes fieri imaginis filii DEI, ut ſi cum eo patimur: & una cum illo glorificemur. Sumus nos Chriſtiani, oves occiſionis, qui ſemper occidimur propter unicum & verum illum agnum noſtrum, qui tollit peccata mundi.

Neque alia eſt ratio regni CHRISTI, regnat is, & potentiam ſuam in Cruce exerit, in morte, in infirmitate vincit, ut dominetur in medio inimicorum ſuorum, non utitur armis viſibilibus, non tumultuatur faſtu & apparatu militari, ut mundi principes. Verbum habet, hoc ſceptrum, hic gladius illius eſt: quo perdit & interficit impios. Hoc ſolo vincit & proſternit Satanam, & omnes Tyrannos. Quod ſi occidimur cruenta manu Turcarum: Si Tyranni vos interficiunt, ſcitote illius eſſe bonam & paternam voluntatem: ſcitote illi placere hanc victimam & ſacrificium. Putat miſer Ty-

rannus

rannus plane victos & extinctos, ubi nos occiderit, & in frusta conscinderit. O stupidam & lapideam ignaviam, imo stultitiam stolidissimam. Idem Pontifices & Pharisæi, & Judæorum scribæ de CHRISTO blaterabant, dicebant enim postquam crucifixissent eum: vicimus, vicimus tandem, crucifixus est, extinctus est, impium Cainum imitati: qui cum scelerata manu fratrem, hominem sanctum occidisset: securus abiit, atque talia secum jactabundus in animo commemorabat: Quem oculi mei aspicere, & mens mea sine odio & invidia cogitare: aures meæ audire non potuerunt, hodie hisce meis manibus interfectus est: meas oblationes, quibus DEUM venerabar, improbabat, is tandem a me prostratus in terram, sanguinem exspuit. Sic factum, sic meis rebus consultum oportuit. Jam non erit qui mihi molestus sit, & me impediat, qui me accuset apud DEUM, nunc quietus ero, nunc quæ libuerit agam. Solus, solus possidebo omnia. Solus DEUM colam, nec erit quisquam in universa terra qui mihi proferri debeat & possit. Sed quid ad hæc. Cœli habitator, cædium

um vindex, mox cum eo ſic expoſtulat, ubi eſt Abel frater tuus? Me latere putas neque inſpectorem eſſe tanti tui flagitii? Quid feciſti? Ecce cruorem: quo ſcelera-tas tuas manus cruentaſti. Ecce vox ſan-guinis fratris tui magno ejulatu clamat ad me de terra, multis gemitibus & ſingulti-bus te accuſat, nam ſimul atque fratrem interfeciſti Tribunal meum appellavit, Eris itaque profugus, non erit tibi uſpiam certa ſedes. Agitabunt te æternæ furiæ nec uſpiam conſiſtere patientur, ſiquidem fuerunt tui flagitii ſpeculatrices: erunt quoque ejus vindices atrociſſimæ. His vocibus tuam conſcientiam ſemper obtun-dent, nunquam enim quieſcent, nec pote-ris illis mandare ſilentiuuu. Perpetuo audies o ſcelerate! o impure. Quo jure qua æquitate? Qua lege? Quo concilio fratrem occidiſti? Hæc ſcelerate Cain ſtre-pent & tumultuabuntur in animo tuo. Hæ voces pœnas nunquam finiendas à te repetent? Sed quid plura de his adjicio?

Tales expoſtulationes Turcæ & Ty-ranni omnes aduituri ſunt in die juſti ju-dicii DEI, qui hodie ſecuri Chriſtianos perdunt & occidunt. Tum enim infli-

getur

getur ultio omnibus, qui DEUM non noverunt, & Evangelio Domini noſtri JESU CHRISTI non obediunt. Stabunt impii Turcæ in magna anguſtia, videbuntque in quos pupugerunt, & quæ Cain audit audient, afficiet eos ſua amentia, cruciabit crudelitas, flagellabunt cogitationes malæ conſcientiæ. Ex imis illorum cordibus hæ deſperatiſſimæ voces audientur: Væ nobis, væ nobis, o terque querque damnatos, væ nobis, qui CHRISTUM perſecuti ſumus & nomen illius irriſimus, væ nobis, qui Chriſtianos contemſimus & occidimus. Cur ſanguinem illorum effudimus? Cur in puellas, infantes & prægnantes ſævivimus? Quid nunc prodeſt nobis victoria, qua viribus& robore Satanæ potiti ſumus? Quid ſuperbia? Quid jactantia? Quid exprobrationes & contumeliæ in Chriſtianos nobis proſunt? O nos infelices? O extremæ dementiæ homines, quid fecimus? Lætantur nunc illi in conſpectu DEI, nos vero affligimur. Florent illi ut palma, nos ut ſtipula & pulvis diſpergimur: quos infirmiſſimos, & ineptiſſimos eſſe dicebamus: videmus nunc eſſe, in crucifixo fortiſſimos, quos judi-

cabamus

cabamus esse stultissimos, quod hominem de muliere natum adorarent, hos nunc sapientia cœlesti clarissimos esse, videmus, quos conculcabamus pedibus nostris & ut pecudes jugulabamus: hi regnant, hi Domini sunt, & hæredes æterni regni DEI, quam impie, quam scelerate egimus? Merito nos nunc flammæ infernales, æterni ignes, & quidquid est vermium infernalium, nos arrodunt, exedunt & absumunt. Illi autem æterno gaudio, pace & tranquilitate in DEO, quem coluerunt in filio ipsius, potiuntur. Sed quid plura querimur? Desperamus, desperamus, infernus, Regnum tenebrarum æternarum & luctuum, nostrum est domicilium. Hic impietatis & temeritatis nostræ justissimas pœnas pendimus. Hic mortis æternæ morsus sustinemus, hic tormenta, cruciatus & angustias, quibus CHRISTI populum afflximus, nullo interveniente fine & relaxatione perferimus, maledictioni & execrationi æternæ, obnoxii sumus. Elabi, effugere non licet. Hic nulla est redemptio, nulla emancipatio. Horror, terror, ululatus, ploratus, & stridor dentium, nostra est æterna hæreditas &c.

Hæc

Hæc nemo contemnat, de his nemo dubitet, juſta hæc DEI ſunt judicia. Non credunt hæc futura impii Turcæ. At cum revelabitur CHRISTUS, de cœloque venerit in conſpectu bonorum & malorum, & hæc in lucem proferentur. Sic ſe digna præmia Tyranni accipient, quibus hodie quod libet, licet, quos nullus DEI timor tangit & à crudelitate revocat. Itaque forti nos animo oportet adverſus Turcam eſſe, qui nos victos & extinctos clamitat, ubi furens ferro ſuo nos tranſverberavit. Certe crucifixus noſter vivit, non eſt extinctus, ſedet ad patris cœleſtis dextram, non manſit in ſepulchro, Truncus aut lapis: revixit, revixit præter omnium impiorum opinionem, reſurrexit die tertia, & æternam juſtitiam nobis impetravit.

Hæc eventura, ubi totus mundus ignеſcet, credite, hæc veſtra ſit conſolatio, vos noſque omnes cum juſtiſſimo Abele victuros & regnaturos, illos vero cum patre diabolo & fratre Caino æternas pœnas DEO noſtro daturos. Occidit vos Turca? Quid ille amplius? Nihil. In morte, in cruciatibus veſtris pacem cœleſtem præſentiſſimam

ſentiſſimam in CHRISTO ſemper habetis: in vobis revelabitur gloria, in illis confuſio: veſtras afflictiones ſempiterna requies comitatur. Hos æternum manet incendium, nam vermis eorum non morietur & ignis nunquam extinguetur. Videbitis, videbitis o Fratres Chriſtiani in noviſſimo die Turcam, Mahometem & omnes perturbatores Eccleſiæ ſanctæ adeoque omnes Tyrannos, jacere protritos & conculcatos, ſub ſcabello pedum JESU CHRISTI Regis & Domini noſtri. Videbitis Satanam, antiqvum ſerpentem edentulum & imbellem, ſub CHRISTI Tribunali proſtratum. Turcas quos jam tam feroces & crudeles eſſe videtis, & qui vos vinctos & conſtrictos Catenis ut bruta, vendebant gentibus: hos videbitis in imum tartarum præcipitatos, & æternis vinculis aſtrictos.

Quare magnanimi eſtote in Domino & Imperatore noſtro JEUS CHRISTO, nihil vos tanta immanitas hoſtium terreat. Videbat populus Iſrael Pharaonis exercitum omnium terribiliſſimum. Sed quibus verbis ſervavit & conſolatus eſt Moſes Judæos ſuos? hiſce: State, ſtate, Ægyptios,

Ægyptios, quos nunc tam minaces & furiosos esse cernitis, mox extinctos & undis maris devoratos videbitis, expectate saltem magnifica, Domini DEI vestri opera. Idem vobis & nobis omnibus cogitandum est, Turcas quos jam tam potentes & superbos, totque copiis contra nos instructos esse videtis, hos paulo post evanuisse sentiemus. Si trepidationem vobis afferunt, quæ quotidie nuntiantur de numerosissimo Tyranni Mahometici exercitu, adeo ut corda vestra, ut arbores in sylvis ventorum vi perculsæ præ magno metu commoveri possint: Nolite timere, non labascat fides vestra, quiescite & securi sitis in CHRISTO vestro, is pro vobis pugnabit, & cominus in acie ipsa cum hoste omnium nostrum congredietur.

Si crudelissima vastatione, Agros, Domus, & Civitates vestras diruit, & omnia solo æquat? Domus vestras cœlestes, & possessiones æternas vastare non potest. Videtur vobis fortasse Tyrannus tantum ignes & flammas infernales spirare & evomere? At quam diu id fieri patietur DEUS? Credite Turcam, tantum esse fumantem Titionem, qui diu fumare non potest.

poteſt. Si minatur expugnationem omnium & conculcationem totius orbis Chriſtiani? Minetur ſane, expugnet, & conculcet omnia ſiquidem DEUS illi permittit: Patriam noſtram quæ in cœlis eſt & Jeruſalem quæ eſt Eccleſia, expugnare & conculcare non poteſt. Si Tyrannus ſceleratiſſimus hoſtis CHRISTI cum Tartaris, Scytis, & omni fece impuriſſimarum gentium contra vos conſpiravit: Audite quid dicit dominus, non fiet, non ſuccedet iſta Coniuratio: Quæ Verba inſculpi ſtilo ferreo in corda veſtra permultum refert. Si enim quæ dicit & promittit divina majeſtas credideritis, fidelis eſt, ſervabit vobis fidem.

Volebat Aſſyrius expugnare Jeruſalem, implerat copiis ſuis, quas habebat & maximas & inſtructiſſimas, univerſam terram Juda: At Dominus illum, Angelica manu percuſſum, in una nocte, extinxit: Pari modo, parique potentia & hunc Tyrannum, ſuo tempore extincturus eſt, credite. Etiamſi Acheronta, Stygem Phlegetonta & Erynnes omnes commoveat, non devorabit univerſum CHRISTI gregem, nec ſtabit Tyrannis

ejus in perpetuum, appropinquat illius interitus, & in foribus est nostra redemptio. Adest Dominus, defensor & custos Ecclesiæ suæ qui suos servabit in omnibus periculis, in hunc erigite animum vestrum & spem vestram: Non diffidite, Rex noster JESUS CHRISTUS, Coronam habet æternam & regnum æternum. Sedet in æternum ad dextram patris sui, qui & noster est pater. Quis illum deturbabit? Thronus ejus manet in seculum seculi, cum Regum & Principum hujus mundi, regiæ sedes subvertendæ sint omnes. Quis sceptrum? Quis coronam illius auferet? Non Turca non alius quispiam Tyrannus, non ipse Beelsebub, velit nolit Turca, Scabellum erit CHRISTI, imo nunc est, tametsi nondum illi revelatum sit divinum judicium, de hoc rege nostro scriptum est nobis in certissimam consolationem: Super aspidem & basiliscum ambulabis, conculcabis leonem & draconem.

Hujus generis plurimæ sunt consolationes in sacris literis, quæ vos inflammare & incendere debent adversus hoc regnum Satanæ & Tyrannidem nam quicquid

quid ſcriptum eſt, in noſtram conſolationnm eſt ſcriptum, ut declaretur, quæ ſit erga nos bona voluntas Domini & Patris qui in cœlis eſt. Vigilat ille, ſolicitus eſt de nobis & noſtra ſalute. Quem non confirmabit? Quem non conſolabitur benigniſſima & Heroica VOX CHRISTI, cum ait: Quos dedit mihi pater non rapiet quiſquam de manu mea.. Raptores multi ſunt. Raptor eſt Turca: At ſpe fruſtrabuntur. Præterea audite, quam blandis & benignis verbis alloquatur Dominus Eccleſiam ſuam in prophetis: O paupercula inquit, o afflicta & deſolata, en adeſt redemtio & liberatio tua, puſillo momento dereliqui te, ſed miſericordia multa colligam te. Per momentum, quo iraſcebar abſcondi vultum meum à te, ſed miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui. Qui hactenus te conculcaverunt, hos tu conculcabis & capita eorum conteres. Et CHRISTUS dicit: Confidite quia vici mundum, ejeci foras mundi principem: Occupavi illius atrium & Domum univerſam, non eſtis Orphani, non deſeram vos. Ero vobiſcum uſque in conſummationem ſeculi.

Ita regno, ita ſedeo ad dexteram Patris mei ut ſemper adſim vobis defenſor & auxiliator in morte, in inferno, in omnibus periculis, contra Satanam, Turcam & omnes Tyrannos, qui nomen meum perſeqvuntur. Non diu durabit illorum poteſtas & ſuperba dominatio, ſunt enim pulvis coram patre meo & atomi umbra: Et alibi Dominus ita ad ſpem veram excitat contemptum Iſraelem: Noli, inquit, timere vermis, Jacob, tenuis & deſpecte Iſrael. Ego faciam te plauſtrum triturans & tribulam novam dentatam: Ut tritures & comminuas montes, colles autem in ſcobem redigas: Ventilabis eos & diſſipabis, qui tanquam turbo te hactenus diſſipaverunt: Sed quam ſuavis quamque jucunda & hæc eſt CHRISTI noſtri ſententia: Omnis qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego illum coram patre meo, qui in cœlis eſt, quiſquis vero me negaverit coram hominibus, negabo eum & ego coram patre meo qui in cœlis eſt &c. Voces hæ ſunt plenæ conſolationis, quibus Sancti animantur & accenduntur contra omnem pertinaciam & crudelitatem Satanæ. Tametſi

metſi & minentur impiis & ignavis omnibus æternum incendium.

Decet igitur vos eſſe infracto animo, non tam propter privatam veſtram ſalutem, ſed propter ipſam Eccleſiam. & cogitandum eſt vobis, quomodo illam ſalvam poſteris relinquatis. Patres olim hanc, niſi nobis tanquam certam ſedem integram, in manus noſtras tradidiſſent, quid eſſemus quæſo? Beluæ ignavaque terræ pondera. Debetis itaque hanc fidem primum DEO, deinde vero liberis & poſteris veſtris, ut ſciant & erudiantur, quomodo & ipſis olim dimicandum ſit pro Eccleſia. Hæc ſi noſtis, beati eſtis. DEUS vos confirmet & ſanctificet. O miſerrimos mortales, qui hæc non intelligunt, qui hiſce non permoventur: Jubet nos gaudere Dominus. Cur triſtabimur? Dicit nomina noſtra ſcripta eſſe in cœlis: Quid dubitabimus objicere cervicem omnibus Turcis & diabolis pro noſtra ſalute & eccleſiæ? Si jam ad breve tempus lugemus. Si opprimimur, & affligimur? Credamus nos in patientia poſſeſſuros animas noſtras: Itaque perdurandum eſt & fortiter reſiſtendum,

dum omnibus adverſariis CHRISTI, inprimis vero Turcarum Tyranno.

Id ut fiat, faxit DEUS pater cœleſtis, qui novit infirmitatem noſtram & audit gemitus cordium noſtrorum. Profecto ille clamantes & ejulantes in perſecutionibus benigniſſime exaudit, quoniam filium ſuum in cruce & mortis anguſtia non dereliquit, imo pro reverentia exaudivit: Clamemus ergo ad illum cum voce & oploratione. Dicamus cum CHRISTO in horto proſtrato in terram, vehementiuſque orante (corripiebatur enim tanto angore, propter mortis & inferni potentiam, terrores, & horrores mortis & inferni, quos ſentiebat intus in ſanctiſſima anima ſua, ut toto corpore guttæ ſanguinis in terram defluerent) Dicamus inquit, Abba pater: Et apparebit nobis de cœlis Angelus, qui & nos corroboret. Et ut id nos unanimiter faciamus, requirit vocatio noſtra: Cujus ut memores ſitis, vos hortor, nomine univerſæ Eccleſiæ CHRISTI. Sitis memores baptiſmi, in quo per illius mortem & ſanguinem ſanctificati eſtis: Sic neque fides neque ſpes veſtra labaſcet. Sic conſtantes eritis in cru-

ce,

ce, & opponetis vos Satanæ & Turcis omnibus, pro CHRISTI nomine & ſacroſanctæ Eccleſiæ conſervatione, ſicque memores eritis vos eſſe DEI filios quos oportet cum CHRISTO crucifigi, & docebit ipſa experientia in conflictu Satanæ: Vos eſſe concives ſupernæ illius & beatæ Jeruſalem, & mittet Dominus virtutem ex alto, ut hæc in vobis & perſecutione veſtra palam fiant. Is efficiet, ut opprobria & contumelias omnes, in ſpe gloriæ cœleſtis, contemnatis. Dedit vobis miſericors Pater cœleſtis, Imperatorem potentiſſimum JESUM CHRISTUM, filium ſuum, qui expoliator eſt omnium principatuum & poteſtatum inferni. Hunc habetis propugnatorem ac defenſorem fortiſſimum, qui caput antiqui ſerpentis in cruce contrivit. Hunc nos omnes vere videbimus venientem in nubibus cœli, cum poteſtate magna, cum omnibus Angelis ſuis: Cum mundus totus igneſcet, in terrorem omnium impiorum. Videbimus hunc victorem audiemus illius Claſſicum & Tubam de cœlo, ubi palam fiet: ipſum eſſe juſtiſſimum judicem, qui judicaturus eſt vivos, & mortuos.

Sed finem faciam, ne videar vobis in his piis & ſanctis hortationibus moleſtus eſſe: Quamvis ſancti ſemper eſuriant & ſitiant juſtitiam: Quæ per patientiam & conſolationem ſcripturarum nobis eſt propoſita: Ut ſpes noſtra corroboretur. DEO itaque commendo, vos, uxores veſtras, & chara pignora, imo omnes quos in Domino diligitis, & oro, ut pater miſericordiarum, qui DEUS eſt omnis conſolationis, vos conſoletur. Hic ſervet & confirmet vos in quavis afflictione per conſolationem, qua omnes Sanctos Electos ſuos conſolari ſolet, hic operetur in vobis tolerantiam in omnibus quæ patimini pro Eccleſia, quam ſanguine filii ſui, in veram & æternam libertatem, olim, per transgreſſionem Adæ amiſſam, vindicavit, idque faciat per JESUM CHRISTUM filium ſuum Dominum noſtrum qui vivit ac regnat DEUS in ſecula ſeculorum Amen.

Vratislaviæ
Apud Andr. Vving.
An. XLIII.

Con-

Consilium Udalrici â Schaff cognominato Gotsch, â Kinast & Greifenstein, Boberstein, &c. ante hos 134. annos datum.

Sunt tria, quæ frangunt hostiles robora Vires:
Arma, Preces, Animi Consiliumque sagax.
Arma Duces capiant, det provida jussa Tribunal:
Verba domi Vates cum prece juncta sonent.
Singula si nequeant, Conjuncta ferire Tyrannos,
Et poterunt pavidos vi superare Getas.

Sim. Grunæus,
Superint. olim Ducat. Lignic.

Donec ab ancipiti pendet Sorte alea belli:
Quod ferus ex ipso THRAX Oriente movet:

Nec liquet, unde ſalus, aut ſpes certa unde ſalutis
Pendeat, â ſolo te niſi, ſumme DEUS;
Arma alii, nos Vota, iſto in diſcrimine rerum,
Pro Patriâ, & Patriæ pro DUCE concipimus.
Vota quibus celſum intrepidè pulſamus Olympum,
Unde armis, nobis unde per arma ſalus.
Tu cauſſam defende tuam, defende tuorum;
Tù populi arma juva, reſpice Vota tui.
Culpa nihil ſané, niſi pœnam noſtra meretur,
At tua ſpem veniæ gratia ſuppeditat.
Hanc pia ſollicitant in CHRISTI nomine Vota,
Nomine quo ſalvos nos fore, tuta Fides.
Non nos deſpicies, Vindex juſtiſſime: Bello
Quippe ſub hoc cauſſa & gloria noſtra, tua eſt.

Joh.

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id373526644/62 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Joh. Gigas,

V. D. M. olim Svidnic. de Certitudine Relig. Christ. 1551. ed. Francof. ad Viadrum.

Turcarum religio non usque adeo vetus est ex variis sectis collecta, cœpit eodem tempore, quo multiplex Tyrannis & idololatrici cultus in P. crevere. Autor hujus Sectæ Machometus fuit, homo callidus & astutus. Hic Judæorum & Christianorum doctrinam mediocriter tenuit: Judæos increpabat, quod CHRISTUM venisse negarent, cum ejus adventus certum tempus prædixissent Prophetæ; Christianos dicebat simpliciores esse, qui crederent Messiam, Prophetam & DEI amicum ab Hebræis vinctum & flagellatum, & crudelissimo mortis genere affectum. Quare aliquantum autoritatis consecutus Legem tulit, ne quis de Religione curiosius disceptaret. Articulos Fidei Christianæ rejecit, usus opera Sergii, qui tum temporis Nestoriano errori patrocinabatur, & liberiorem vivendi potestatem populo concessit. Hac

ratione

ratione Vulgi favorem & gratiam ſummam ſibi peperit & conciliavit. Hæc autem Turcica eſt Religio: Fatentur unum DEUM, rerum omnium Creatorem, cujus Propheta major ſit Mahometus ſed CHRISTUM Filium DEI non tantum non recipiunt, ſed multiplici contumelia ac blaſpemia afficiunt; De DEI igitur Voluntate & Eſſentiâ incerti proin â DEO non exaudiuntur. Quamquam autem retinent quosdam cultus veteris Teſtamenti, tamen verum uſum neſciunt, ac tantum Ceremoniarum umbras amplectuntur.

Vita
Ambroſii Moibani,
Theol. D.

Taceat prodiga laudis vetuſtas, quæ Sacratem, Catonem, & id genus ſimiles, ut ætas quemque tulit, voluminum honore dignata eſt. In Moibani prædicatione ſermo mihi parcior, fides major eſt, Theologi quidem illius celeberrimi, ac fidiſſimi Eccleſiæ Vratislavienſis ad Div. Eliſabethæ Paſtoris. Miſſus ille in hanc vitam Anno 1494. pridie Nonas April. parentibus honeſtis Georgio & Margaretha, de voluntate eorundem, bonitatem naturæ in filio animadvertentium a puero litteris operam dedit. Et in patriæ quidem ludo, qui vicinus eſt templo D. Mariæ Magdalenæ, rudimentis primis feliciter perceptis, cùm Oſwaldi Winckleri, ejus ædis parochi amorem inſigniter provocaſſet, ad tractanda ſtudia ab eo non incitatus ſolum, ſed & adjutus, majoris in illis acceſſionis faciendæ cauſſa Niſſam ſeſe bonæ tunc famæ ſcholâ florentem, contulit. Inde litteris ſuorum

orum revocatus, in ſchola ad SS. Corporis Chriſti provinciam docendi ſuſcepit. Sed ea mox reſignata Cracoviam conceſſit: ubi cum uberiorem lingvarum & artium, Arithmeticæ præſertim, Aſtronomiæ & Phyſices cognitionem hauſiſſet, ſcholaſtico gradu, cui â laureâ nomen, illic aſſumto, Viennam Auſtriacorum, cujus Gymnaſio nullum eâ tempeſtate in Germania celebrius ob abundantiam rerum omnium, & doctiſſimorum hominum multitudinem, migravit: inchoatamque philoſophiæ telam non invitâ Minervâ ſic pertexuit: ut ſeptem artium Magiſterii gradum cum laude conſequeretur. Viennâ relictâ peregrinatiunculam in ſuperiorem Germaniam ſuſcepit, ejusque præcipuas urbes, ſcholis præſertim publicis celebratas, luſtravit. Ingolſtadii Bojorum urbe ſtudiorum gratia aliquamdiu ſubſtitit: Tubingæ Reuchlinum, alibi alios litterarum antiſtites honoris cauſa ſalutavit, atque ipſe venerationem illis, ipſi contra adfectum ei exhibuerunt. In patriam hinc dulciſſimam ab eruditionis multiplicis ſupellectile inſtructus cùm remeaſſet, ludo litterario ad D. Johannis præfectus

fuit,

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id373526644/66 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

fuit, eamque ſpartam pro virili ſuâ ornavit ab Joanne Turzone Præſule cum omni benignitate habitus. Eo vitâ defuncto ſcholæ urbanæ ad D. Mariæ Magdalenæ ab ampliſſimo ſenatu gymnaſiarcha datus, ſatis eam habuit frequentem, ac celebri famâ juventutem & bonis moribus & optimis literis, quâ latinis, quâ græcis, ante ipſum quidem heîc doceri minime ſolitis, informavit. Sed cum veritatis cœleſtis notitiâ illuſtratum Theologia magis magiſque caperet: amore illius impetrata â ſenatu miſſione, Wittebergam petiit: ubi propter divina, quibus prædítus erat, dona Luthero, Melanchthoni, aliis non innotuit ſolùm, ſed & familiaris & valde carus fuit. Ii retinere hominem, & illigare in iis locis non unâ conditione conati ſunt, ſed fruſtra. Nam patriam reſpectabat: a cujus ampliſſimo ordine de conſilio Joannis Heſſi, qui veritatis cognitionem, ingenium placidum, mores integerrimos, vitæ innocentiam, & doctrinam in artibus humanioribus Moibani probe cognitam habebat, ad Eccleſiæ Eliſabethanæ gubernationem vocatus, cum lubens meritò paruiſſet, honore tamen ac titulo

titulo Doctoris Theologiæ publicâ prius inauguratione honestatus, ita sese in tam arduâ functione gessit: ut exstirpatis quantum potuit P. superstitionibus, incredibili cum gratia, fructu atque utilitate populum fidei suæ commissum divini verbi svaviſſimo pasceret alimento, cæteraque omnia, quæ pastoralis sunt muneris, sancte & diligenter explicaret: "tanto quippe juxta Salviani monitum an-"tistans cæteris devotione, quantum di-"gnitate, tantum excellens merito, quan-"tum gradu. Religionis sane sincerioris propagandæ tantum in Moibano studium: ut multos e monachatu placidis & comibus ad se pertractos sermonibus in doctrina veritatis institueret, ac Christo lucrifaceret: nec vicinis tantum in Silesiâ ecclesiis de idoneis ministris prospiceret, sed & in exteras regiones Hungariam, Poloniam Bojemiam, Moraviam subinde mitteret, qui veræ doctrinæ lucem in illis provinciis passim accenderent. Quæ quidem res adeo ei curæ fuisse legitur, ut sacerdotes pios alibi propter verbi divini confessionem ejectos in ædes suas, velut commune quoddam exulum asylum

lum & hoſpitium, præcepti nimirum apoſtolici memor, quod Epiſcopum vult eſſe φιλόξενον, reciperet, gratisque aleret, ac foveret, donec aliter ipſis conſultum ire poſſet. Cæterum cum ante ipſum Joannes Heſſus, quem dixi, purioris evangelii miniſterium Wratislaviæ inchoaſſet, isque Senatui, ut ad coarguendos & extorquendos hominibus veteres errores Moibanus ſibi adderetur, auctor fuiſſet, facile contraxit eos, ita ut fit, mutua virtutis, & ingeniorum admiratio. Naturæ quidem vis in Heſſo ſumma erat, & uſus plurimarum rerum maximus, ſed doctrina vel propter temporum injuriam, vel quod ipſe variarum rerum cognitione oblectaretur, haud æquè conſummata. Itaque cum illud celebratum noſſet, σὺν ἓ δὺ᾽ ἐχομένῳ, magna fuit inter eos, dum vixit Heſſus, animorum, voluntatum, & conſiliorum conſenſio. Venerabatur Moibanus, colebat, & magnifaciebat prudentiam & facundiam Heſſi, hic illius ſuavitatem & eruditionem. Quæ tanta bona cùm fidiſſimè conjungerent, neque unquam alter alteri ſe præferret, aut odiosè in rebus non neceſſariis in diſceptationem

venirent, adſpirante Deo συζυγία illa inter ancipites curas, difficultates varias, ac pericula imminentia rem religioſæ pietatis præclare provexit, & eam autoritatem huic loco atque ordini conciliavit, quæ ſucceſſoribus etiam illorum ſecuritatem præſtitit. Erat ad hæc in utroque eximius candor, qui unicuique quod debebatur, lubentiſſimo animo prolixe tribuebat. Non efferebant ſeſe ſupra omnes homines. Nullam diſceptationem cum quoquam quærebant, neque ullius dictum vel factum anceps definitè judicabant, aut malitiosè interpretabantur. Diſſenſiones ubique extingvere, non commovere conabantur. Inter conciones ſanè utriuſque doctis quibusdam viris hæc obſervata eſt differentia, quod Moibani dialecticæ eſſent, ac methodicæ; Heſſi autem rhetoricæ magis & oratoriæ. Quam in rem ſequens legitur Antonii Carcheſii tetraſtichon:

Naſcitur in lingvâ Grajis facundia; quidam
Dixerat: aſt Itali corda diſerta gerunt.
Sic mihi judicium ſi fas eſt edere noſtrum:
Heſſum lingva juvat: cor Moibanus habet.

Dav. Wolckenſtein Prof. Math. in acad. Argent. in epiſtola quadam ad Magiſtrum ex filia nepotem Sal. Frencelium ſcripta Theologum fuiſſe ait, ſerpentinâ prudentiâ, & ſimplicitate columbinâ præditum, reſpiciens nimirum ad præceptum Domini ſuis diſcipulis tanquam ovibus inter lupos relictis prudentiam ſerpentum & columbarum ſimplicitatem commendantis. Eo igitur temperamento Moibanus quoque uſus ſerpentis prudentiam (ceu Nazianzenus in orat. de patre ſuo loquitur) ad malum, columbæ ſinceritatem" ad bonum admiſcendo, neque pruden" tiam ſivit malitioſam, neque ſimplicitatem fieri amentem, ſed una virtutis formam quam maxime licuit & ambobus exquiſite conſtituit. Inſidias certe hoſtium evangelii prudenter cavere noverat; ut nihil per fallaciam ageret, ſed vitam & incolumitatem ſuam Providentiæ divinæ permitteret. At enimvero non ſalutaris tantum eccleſiæ doctor hic noſter fuit, ſed cum ſcholarum etiam patriæ commiſſa ei eſſet inſpectio, in illarum inſtauratione nulli omnino operæ, labori nulli pepercit: prælegit ipſe quotidie aut publicè aut domi

ſuæ: & ut ante litterarum græcarum inducendarum autor fuerat, ita & Ebrææ lingvæ, cujus cognitionem ad ſacras literas penitius intelligendas perquam neceſſariam recte judicabat, rudimenta propoſuit; neque quicquam poterat illi accidere jucundius, quam ſi cognoſceret ſedulo operam dare literis juventutem, quam ipſe, quibus rebus poterat, juvabat, & currentem incitabat. Habuit autem eâ in re velut σύνεργον virum Nob. & Clariſſ. Joannem Mezlerum, eoque defuncto Joannem Morenbergium, quorum conſilio & opera adjuvantibus Andreâ Wincklero ac Joanne Widenkopff ludimagiſtris, ſcholas rectè conſtituit & gubernavit. Tametſi autem non deeſſent illi adverſarii, qui & vitæ & famæ inſidiarentur: unum tamen curſum urgebat ipſe ſemper, ſinceritatem religionis Chriſtianæ, eamque illibatam ut tueretur. Illum, inquam, curſum tenuit, eamque metam ſecutus eſt, dum vixit, nec ab ea ullis ſeſe aut injuriis aut inſidiis paſſus eſt dimoveri. In privatis colloquiis gravis erat & comis, ac quamvis conviviis rariſſime intereſſet, tamen ſi evitare ea non poſſet, eruditos adhibere lepores, ſi

quis

quis alius, prudenter ac feliciter norat. Cum aliquando in convivio G. L. Canon. genus ſuum ab ipſo Achille deduceret: Moibanus hominis arrogantia offenſus, eſt ſane, inquit, ut dicis, L. familia vetuſta, nam & Terentio Logi noti ſunt. Laboribus tandem publicis privatisque in ſingulos dies magis magisque attenuatus, & debilitatus cùm circa Calendas auſpicantes annum 1554. peripnevmonia, veteri morbo correptus fatalem migrationis horam ſibi inſtare præſagiret, piis alloquiis ſuos eſt conſolatus de animæ potius quam corporis ſalute ſollicitus ad beatum ex hâc vitâ abitum ſe totum comparavit, atque hunc ex voto nactus tandem inter ſuſpiria, & preces ardentes ad Deum placide exſpiraxit 17. Cal. Febr. ejusdem anni poſt ſena vitæ decennia: e quibus 28. annos, & 6. menſes gubernationi Eccleſiæ, quam pie conſtitutam poſteris & ſucceſſoribus ſuis curandam & cuſtodiendam reliquit, ſumma cum fide & diligentia impendit. Uxorem habuit Annam antiquâ & laudabili Bonicorum familiâ natam, cum quâ vixit annos 28. minus 15. hebdomad. conjunctiſſime, paterque ex ea factus eſt liberorum

berorum 12. e quibus 9. patri ſupervixere, eâ pietate ac diligentia educati, ut domum Moibani auguſtum templum rectius adpellares, quam ædes privatas. Reliquas viri ſanctiſſimi virtutes funebri oratione perſecutus eſt M. Joannes Scholtzius Senior, nec pauca de eo in vita Joan. Baptiſtæ a Joanne Cratone ſcriptâ, unde & quædam huc tranſtulimus. Edita ab ipſo leguntur Epiſtola gratulatoria ad Balthaſarem Epiſcopum Vratisl. in qua multa graviter tum de legitima Præſulis electione, tum de ornamentis dignitateque muneris Epiſcopalis differit. Libellus ad Joannem Baronem â Bernſtein in Helffenſtein, in quo tractatur quæſtio, an communio infantium, quæ apud quosdam ſervatur, probetur eccleſiæ? Catechiſmi capita 10. primum quibusdam thematis, deinde etiam colloquiis puerilibus illuſtrata, unâ cum oratiuncula latina puellæ cujusdam de nativitate Jeſu Chriſti publice dicta. Explicatio mandati Chriſti: ite in mundum univerſum, & quædam alia cum proſa, tum verſa oratione. Nam cum a poeſi minime abhorreret, carmina ſubinde meditatus fuit docta & pia,

quorum

quorum haud pauca nobis epitaphiorum Inſcriptiones repræſentant. Amicitiam coluiſſe cum ſummis viris, qui eo ævo vel in Germania, vel extra eam doctrinæ virtutisque laude floruerunt, teſtantur ejus epiſtolæ manuſcriptæ, a viro Clariſſimo Nicolao Polio τῷ νῦν ἐν ἁγίοις nobis aliquando communicatæ, in queis una quoque ad Joan. Calvinum magni nominis inter Proteſtantes Theologum miſſa, quam cur hoc quoque loco velim legi cauſas domi habeo graviſſimas, & inter eas hanc vel maxime, ut vel inde ſit, qui pudorem Zelotis noſtris incutiat, qui adverſus eum virum, cujus amicitiam Moibanus, quamvis ſententiæ ejus de SS. euchariſtia, & aliis articulis religionis Chriſtianæ controverſis minimè ignarus, adeo non detrectarit, ut per litteras eum alloquens nil niſi meras charitates ſpiraret, & ab eorum moribus alienus, qui contra quamvis leniter diſſerentes nil niſi meras exhalare flammas & furias non exhorreſcunt: Sæpius, mi Calvine, cogitavi, quomodo rationem aliquam invenirem ad te ſcribendi, Nam magno intervallo diſſiti ſumus. Habeo & quæro ſemper conſuetudinem

"ſuetudinem doctorum virorum. Scri-
"pta tua perplacent. Inſtitutionem tu-
"am lego & relego, & ne videar κολα-
"κεύειν, excipiuntur tua magnorum ho-
"minum plauſu. Polonia ita incumbit
"tuis ſcriptis, ut nihil videatur illis re-
"ceptius. Certè ut ex animo dicam non
"video hoc tempore qui ſe animoſius op-
"ponat belluæ. Habes Antagoniſtas,
"quibus cum fortiter depugnas. Cer-
"tatur nunc pro Helenâ, non illâ græcâ,
"ſcis. Dominus ſit tecum ut fortis ſis
"in bello. Nos interim in noſtro orbe
"quid agimus? De Interim pugnamus.
"Tu contra totum regnum Satanæ te to-
"tum opponis. Video quam diligenter
"verſeris in explicatione Paulinorum ſcri-
"torum, quæ nihil aliud agunt, niſi ut de-
"ſtruant ſedem illam adverſarii. Cupe-
"rem videre catalogum tuarum lucubra-
"tionum: nam rarius ad nos importan-
"tur talia. Peto ut omnes Pauli epiſtò-
"las unà cum annotationibus tuis cures in
"unum volumen imprimi. Deſidero
"propter meam tenuitatem in Paulinis Ex-
"plicationibus annotationes deligentiores
"in exponendis Hebraiſimis. Nam Pau-
lus"

lus etſi græcè ſcripſerit, tamen pro mo-“
re ſuæ gentis utitur phraſibus Hebraicis.“
Rectè facis, mi Calvine, quod horas tu-“
as in tam utilia ſtudia collocas. In Era-“
ſino multa ſunt, ut erat Theologus ſui“
temporis aulicus, quæ requirunt τὸ πλη-“
ροφορῆν. Sed alii judicent. In multis“
Pauli ſententiam non videtur aſſecutus.“
Diu Pſalterium tuum quæſivi, vidi qui-“
dem ſemel, quod ex hebr. vertiſti in la-“
tinum. Quid nunc facias, aut in ma-“
nibus habeas ſcire velim. Saltem ve-“
lim te imprimis eccleſiæ utilia propone-“
re. Vale in Chriſto. Wratislaviæ 1. Sept.
Anno 1550.

Eliſabes Paſtor Moibanus fidus in æde
Cœleſti pavit credita corda cibo.

C. Conradi D.

Pavit oves Chriſti qui verbi gramine; cœlo
Jam nunc ambroſiis paſcitur ipſe cibis.

N. Henelius D.

Hiſtoria Vitæ Johannis Gigantis ex Autographo.

Der Ehrwürdige Herr Johann Gigas iſt zu Kayſers Maximiliani Zeiten, des Erſten, in des Kayſers Theodoſii alten Stadt Nordhauſen am Hartz den 22. Febr. welcher war der Tag des heiligen Apoſtels Matthiæ, nach Chriſti unſers Heylandes Geburt 1514. von Niclas Hennen, und Urſula ſeiner Haus-Frau gebohren, und in St. Peters Kirchen allda im Nahmen der Heiligen Dreyfaltigkeit Chriſtlich getaufft worden: Eben in dem Jahr, da der groſſe Zug der Sächſiſchen Fürſten in Frießland geſchehen.

Hernach ohngefehr über 6. Jahr, haben ihn ſeine lieben Eltern allda in die Lateiniſche Schule gethan, und dem Herrn Johann Spangenberg, Schulmeiſtern befohlen. Da er ſich bald wohl angelaſſen, ſeine Elementa catechefis und grammatices fleißig gelernt, und darauf im 11. Jahre ſeines Alters auf gutter Leute Rath nach Magdeburg in die Schule verſchickt worden; welche damahls

unter

unter M. Georgio Majore von Nürnberg Rectore weit berühmt war; da er pietatem & litteras ſtudiret, und ein innocuum carmen ſchreiben lernen; welches er mit dieſem Epigrammate an ihn öffentlich bekannt:

Te duce ſalvifici cognovi vulnera Chriſti,
Et didici rectas ire, redire vias.
Te duce guſtavi generoſas Phocydos undas
Ac didici certo verba ligare pede.

Des gedencket er auch in einer Predigt am Tage Gregorii: Ich dancke meinen lieben Herren Præceptoribus D. Johanni Spangenbergio, D. Georgio Majori, D. Petro Svedero: die haben mich in meiner Jugend treulich unterwieſen, haben mir nechſt GOtt fortgeholffen; zahle es ihnen GOtt im Himmel. In einer Elegia nennt er Herrn Spangenbergium cauſam facemque ſtudii ſui, daß er ihm ad poeticen treulich gerathen, dem er gefolget, und ſich nach Leipzig begeben; dem jungen Juſto Jonæ, des Herrn D. Jonæ ſeines Bluts-Freundes Sohn, ſeine querelam Muſarum de nonnullorum erga ipſas ingratitudine zugeſchrieben, und eine ſchöne Elegiam an Herr Philippum Melanchthonem gen Wittenberg gedruckt geſchickt. Iſt

wegen

wegen seiner Geschicklichkeit und Poeterey von den Herrn Professorn und Studenten Casp. Bornero, Bernhardo Ziglero, Nicolao Sceubelio, Georgio Fabricio, geliebet und geehret worden.

Ein fürnehmer Herr hätte ihn gern An. 39. mit sich in Italien genommen, seine itinera zu beschreiben, dazu er seinen lieben Commilitonem und treuen Freund beförderern helffen, und sich desselben Jahres nach Wittenberg begeben. Da hat er den grossen Mann D. Luther, und den fleißigen Præceptorem Philippum, D. Crucigerum, D. Jonam, sammt andern Professoribus gehöret, die ihn als einen gelehrten und bekannten in ihre Gunst und Beförderung genommen, seine Poemata gerne gelesen. Wie der Herr D. Luther, so bey publicis ritibus Magisterii offt zu seyn gepfleget, auch auf der Promotion dieses neuen Magistri Johann Gigantis Anno 40. gewesen, seine Epigrammata also viel der damahls ausgegangen, durchsehen, und zum Herr D. Crucigero diese Worte gesaget: Magna spes est, Caspar, de conservatione & propagatione doctrinæ, cum nunc tot adolescentes & viri docti in optimis quibusque artibus, ac imprimis

primis in ipso pietatis studio sese exerceant.

Wie fein hat er unser gantz Christenthum in dis kurtze Phalæcium bracht, das noch heut von den Mendicanten zu Wittenberg für den Thüren gesungen wird:

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Hæc sunt, credito, chare Christiane,
Peccata agnita concione legis
Deplorare, queri, dolere, flere;
Et mentem miseramque territamque
Ac certamine sauciam severo,
Verbo, fonte, Dei salubriore
Per Christi meritum, crucemque duram
Tranquillare, rigare, roborare,
Et vitæ novitate Christianam
Exercere fidem, atque ita ambulare
In vero Domini Dei timore;
Injunctamque sequi vocationem,
Et qui non procul est, paratiore
Exspectare animo diem supremum,
Hæc vitam faciunt beatiorem.

Er hatte auch sonst mit trefflichen Leuten Kundschafft, als mit Hieron. Wellero, Joh. Stigelio, Georg. Æmilio, Joh. Mathesio, Acontio Victorino Strigelio. O wie ist das so ein fein Scholasticum Sodalitium gewesen,

